



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput I. Lineamenta Vitæ Patris Martini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**



# VITÆ

REVERENDI PATRIS  
MARTINI STREDONII  
SOCIETATIS JESU.

## CAPUT I.

Lineamenta Vitæ Patris MARTINI.



**S**cripturus Vitam Pa-  
tris MARTINI STREDONII,  
Pictores imitor in hoc primo  
Capite, puraque lineamenta  
velut umbras expono, ut fi-  
gura saltèm, velut ab obscura plumbagine primis  
oculis proposita, conjecturam de futuro Iconi-  
smo edoceat. Communis Sancti, ut ajunt,  
vitam describo. qui tamen, sicut videbitur, ex  
hac ipsa communi vita, singularis cense-  
ri potest; aperuitque hoc ipsum, Divinitus hausto  
lumine, artificium à S. IGNATIO Fundatore no-  
stro inventum, & in Ecclesiam DEI, ac specia-  
liter in SOCIETATEM JESU invec-  
tū esse præce-  
denti

A

denti



## 2 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

denti seculo, ut communes quidem inquit vulgo appareant Sancti ab Ignatii temporibus : Supra vulgi tamen opinionem excellenti sanctitate polleant, coram oculis DEI (velut objecta complacentiæ Divinæ singularia) gloriosi. Et revera talis fuit P. MARTINUS, communis visus oculis humanis, unam præter singularitatem, de qua piè condemnabatur ab omnibus, quòd communi vitæ, singularis Sanctitatis famam & normam, universali omnium sensu, sociasse visus fuerit. quod sanè argumentum pro asserenda Viri sanctitate, alio in genere, S. Augustino, potens est visum, quando ad probanda quædam mysteria obscuriora Catholicæ Fidei, evidentiam veritatis ab universo sensu & consensu Ecclesiæ, robur argumenti nunquam expugnabilis, desumi posse assecuravit. Communis ergo fuit & singularis, hic Vir de quo agimus. *Communis* quidem; quia juxta S. Chrysostomum, *in commune commodum vitam instituit.* *Communis* in observantia disciplinæ ac vitæ, juxta Regulas, omnibus præscriptas, puta Ordinem domesticum & actiones diurnas ordinarias in Religionibus sanctè distributas. quod id ipsum alicubi Christus suasit Perusino Civi, Sancti Francisci ordinem amplexuro. *Communis*; ut qui comunem vitam agunt, singularitate Sanctorum non deterreantur. Sed ut S. Gregorius Nazianzenus de S. Basilio scribit,

*l. de cura  
pro mortuis. c. 1.*

*homil: 15.  
in Matth:*

*Lucas Va.  
ding. in  
Annalib<sup>9</sup>  
minor. an.*

*Chr. 1211.  
n. 6.*



bit, in communem Virtutis tabulam, velut in  
*vivam quandam legem intuentes mortales*, vitam  
 omnem suam dirigant. Sive ut ejusdem nomi-  
 nis Magnus Gregorius ait: *Ad imitationem pro-*<sup>2. Mor. r.</sup>  
*vocentur corda infirmorum, & ex victricibus factis,*  
*contra vitiorum praelia, debilia confirmentur, fiatque*  
*ut minùs mens inter certamina trepidet, quò ante se*  
*positos, tot virorum fortium triumphos, videt.*  
 Quam Virtutis propositam imaginem, à Sanctis,<sup>in Gordiâ</sup>  
 Divus Basilius, *Lucem* vocat, *Virorum in Rep. be-*<sup>Martyrè.</sup>  
*ne versantium*, quæ salvandis ad vitæ viam præ-  
 fulget.

*Singularis* verò etiam videri potuit; quia  
 Virtutis excellentis more, majestas quædam  
 Sanctitatis ex singulis operibus, etiam diurnis  
 pensis ordinariis, imò & in membris ad virtutis  
 formam compositis ità in Martino emicabat, ut  
 testimonio eorum, qui unà mecum virum  
 hunc, annis pluribus observârunt, uti ausim,  
 atque illa dicere de Stredonio, quæ Clemens VI.  
 sermone de S. Thoma Aquinate dixit, scripsit-  
 que: P. MARTINUS, *fuit exemplar virtutum om-*  
*nium, earumque exempla, erant membra ejus singu-*  
*la: in oculis relucebat simplicitas, in vultu benigni-*  
*tas, in auribus humilitas, in gustu sobrietas, in lingua*  
*veritas, in actibus integritas, in manu liberalitas, in*  
*ingressu gravitas, in forma honestas, in visceribus*  
*pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in*



#### 4 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

*mente Sanctitas, in corde charitas. sic ut species de-  
corque corporis fuerit effigies anima, & Imago virtu-  
tis.* Neque putet aliquis, me communi formu-  
lâ Virtutem hujus Viri colorare. Fidem faciunt  
illi Testes, qui jussi aliquid de Virtutibus quas  
observâssent in viro, dicere, itâ excellentem in  
moribus Sanctitatem descripserunt, ut non ali-  
am vitam duxisse, atque se in Patre MARTINO  
vidisse, calamo testati fuerint, quàm *Imaginem  
Virtutis.* Sed quia hoc ipsum probandum esse  
â nobis, & in particulari demonstrandum peti  
arbitror, idcirco ex umbra lineamentorum, ad  
picturam primæ lucis calamum promoveo.

### C A P U T I I.

Natales & Pueritia. Primi pietatis  
igniculi. Modestia rara.

**H**XISTIMABAMUS hæctenus,  
peregrinam esse Virtutem, quoad vi-  
tæ sanctimoniam, & ultra parietes  
quæri oportere, cum intra limina nostra sæpiùs  
Viri à virtute spectabiles, orientur, & fiant. Vi-  
dimus certè intra Provinciam nostram, & mani-  
bus etiam ex charitatis amplexu, venerati fu-  
mus tum complures Viros, tum præcipuè om-  
nium